

## De Conscientia Christi.

1. Conscientia est quaedam sui cognitio in qua 1) cognoscens et cognitum sunt idem, 2) identitas cognoscentis et cogniti cognoscitur, 3) haec identitas viget, non inter duos terminos qui pariter sub ratione obiecti cognoscuntur, sed inter duos terminos quorum alius est ipse cognoscens sub ratione subiecti manens et alius est idem cognoscens sub ratione obiecti positus.

Aliter. Qui dicit "ego", dicit ipsum dicentem. In quantum dicit "ego," ponit et constituit se sub ratione obiecti. Ut dicat "ego", rationem dicendi sufficientem iam habere debet. Conscientia est illa possessio cognitae rationis sufficientis ut quis "ego" dicere possit.

2. Christus una persona est, eaque divina, in duabus naturis hypostatico unitis subsistens.

Cum nulla in Xto existat persona humana, moveri non potest quaestio de conscientia personae humanae sive per naturam divinam sive per naturam humanam.

Dum Christus sit persona divina ab aeterno in natura divina subsistens, moveri posset quaestio de conscientia personae divinae per naturam divinam. Quae quaestio difficultatem suam habet sed hic non tangitur.

Quaerimus ergo de conscientia personae divinae per naturam humanam.

Cumque in Xto homine existat scientia beata, non est dubium quin Xtus homo sciat personam Verbi sub ratione obiecti; neque dubium est quin Xtus homo sciat personam Verbi incarnatam sub ratione obiecti. Quod tamen in omni scientia beata invenitur, neque ad rationem conscientiae sufficit. Deest enim illud quod in conscientia principale videtur, nempe, illa cognitio sui sub ratione subiecti unde procedit interius dictum verbum "ego."

3. Difficultas quaestionis est duplex. Prima est ut clare et distincte concipiatur ipsa conscientia; quae res quam sit difficilis ex problemate epistemologico aestimari potest. At ulterius sunt difficultates speciales in Xto homine: quaeritur enim de conscientia humana ubi nulla est persona humana; et mirum videtur quod conscientia potest esse et finita et infinita.

4. Positio quaestionis videtur recens esse. Maxime hac in re elaboravit P. Galtier, *L'Unité du Christ*, Paris Beauchesne 1939 edit. 2a.

His notulis tractatur pars speculativa et, primo, de ratione obiectivitatatis, deinde, de obiectiva sui cognitione, tertio, de experientia, quarto, de conscientia, quinto, de experientia conscientiaque Christi hominis.

5. Primo, agitur de obiectivitate quae distinguitur in actualem, potentialem, similitudinariam, et erronee conceptam.

Actualis obiectivitas est vel absoluta, vel consequens, vel normativa, vel materialis.

Obiectivitas absoluta est quae convenit iudicio qua virtualiter inconditionato. Ideo enim iudicare possumus quia in praecedente actu intelligendi reflexo apprehenditur ratio sufficiens ita iudicandi; quae ratio sufficiens est quoddam virtualiter inconditionatum, i.e., conditionatum cuius conditiones sunt impletae.

Obiectivitas consequens est ubicumque dantur plura iudicia eodem modo inter se relata ac sequentia, A est, B est, C est, ... A non est B neque C neque..., B non est C neque... Ego sum A, Ego haec iudicia profero. Tunc enim A, B, C, ... absolute in campo entitatis ponuntur, inter se realiter distinguuntur, et inter haec obiecta existit quoddam A quod est subiectum et se ipsum ut subiectum cognoscit.

Obiectivitas normativa consistit in eo quod inquisitio et reflectio fiunt praeter omnem influxum indebitum sive appetitus sensitivi sive voluntatis perversae.

Obiectivitas materialis est quae habetur sive in datis externis sive in datis internis eo ipso quod dantur.

6. In ordine cognitionis genetico primo habetur obiectivitas materialis, deinde normativa, tertio absoluta, et quarto consequens. Primo enim sentimus seu experimur, deinde inquirimus et reflectimur, tertio iudicamus, et quarto per plura iudicia campum entitatis contemplamur.

Obiectivitas potentialis dicit priorem quemque gradum, non prout in se consideratur, sed prout potentiam ulterioris vel ultimi gradus continet.

7. Eodem quodam modo inter se referuntur entia quae obiectivitate consequente cognoscuntur et, alia ex parte, sensibilia sensus moventia et animal (seu homo sensibilibus immersus). Sicut enim A et B sunt, pariter sensus in A moventur et sensibilia in B movent. Sicut A non est B, pariter in campo mere sensibili diversa loca occupantur per sensus A et per sensibilia B.

Propter hanc similitudinem iam adest in campo mere sensibili obiectivitas quaedam similitudinaria. Quae sane distinguenda est tum ab obiectivitate potentiali tum ab obiectivitate materiali. Obiectivitas enim potentialis est obiectivitas non actu sed potentia; dicit id quod erit obiectivum et ut tale cognitum si accedit iudicium recte elicatum. Sed obiectivitas similitudinaria est quaedam obiectivitas actualis; ad eam habendam sufficit ipsa perceptio sensitiva. Iterum, obiectivitas materialis pariter habetur tum in sensationibus veridicis tum in illusionibus et hallucinationibus; haec enim omnia dantur et pariter explicatione indigent. At in illusionibus et hallucinationibus non adest obiectivitas similitudinaria nam deest similitudo inter tales experientias et campum entitatis.

8. Objectivitas denique erronee concepta pritur ex defectu distinctionum necessariorum.

Initio enim intellectus humanus est quasi tabula rasa in qua nihil describitur; ceterius plerumque et plenius evoluitur pars animalis quam pars rationalis in homine; ex quo fit ut homo cognoscat per experientiam, per inquisitionem et actus intelligendi, per reflectionem et iudicia, quin tamen clare et distincte sciat quemadmodum cognoscat. Qua de causa cum de homine vulgari vel de philosopho parum cauto quaeratur quid per illud nomen "objectivitas" intelligat, confuse respondet. Maxime evidens ei videtur objectivitas similitudinaria; nec tamen a ratione entis et veri omnino praescindere consentit. Qua de causa dicere solet ens reale esse, non id quod est, sed id quod est ibi extra mentem, quasi ipsa mens non esset realis. Unde oritur notum problema . criticum

9. Deinde de objectiva sui cognitione sunt pauca dicenda.

Alia est sui cognitio facilis et communis quae ab experientis internis incipit tamquam a datis individualibus, in illis intelligitur unitas quaedam concreta (unum per se, ens per se, substantia), et denique haec unitas esse vere affirmatur.

Alia vero est sui cognitio subtilis et difficilis. Incipit ab experientis internis, non qua individualibus sed qua talibus; distinguit eas per objecta sua; ex objectis procedit ad actus; ex actibus ad habitus et potentias; et ex potentiis ad essentiam animae. Qua inquisitione perfecta et quidditate animae concepta, sequitur reflectio et iudicium de natura sui ipsius.

Utraque haec cognitio est sui ipsius: per priorem cognoscitur subjectum in individuali; per posteriorem cognoscitur idem subjectum per naturam universalem. (cf. S. Th., I, 87, 1)

Praeterea, haec sui cognitio habet objectivitatem materiale in quantum experientiae dantur, normative in quantum debito modo inquiritur et reflectitur, absolutam in quantum recte iudicatur, et consequentem in quantum cum aliis iudiciis comparatur.

10. Tertio, de experientia agendum est.

In processu cognoscitivo, non solum exhibentur ea quae sentiuntur, imaginantur, intelliguntur, concipiuntur, affinantur, sed etiam ipsae operationes sentiendi, imaginandi, intelligendi, concipiendi, affirmandi quodammodo adsunt.

Quae operationum praesentia est duplex: si enim operatio consideratur in quantum dicit subjecti mutationem, passionem, operationis receptionem, operationis praesentia dicitur experientia; si vero operatio consideratur in quantum dicit subjecti attentionem, intentionem, nisum, actionem, operationis praesentia interioris dicit.

Quare, late et improprie dicimur experiri res exteriores ut colores sonos, etc.

Praeterea, conscientia prout experientiam comitatur, non dicit rationem illam specialem quae nominatur conscientia sui vel conscientia personae sui consciae.

Sed experientia aspectum passivum, conscientia aspectum activum, eiusdem operationis interioris dicit.

11. Objectivitas quae experientiae vel conscientiae competit est materialis.

Ex operationibus praesentibus proceditur ad inquirendum et reflectendum, et sic oritur objectivitas normativa; ex inquisitione et reflectione oritur iudicium, et sic habetur objectivitas absoluta; ex iudiciis comparatis oritur entis et veri contemplatio, et sic habetur objectivitas consequens.

Quae de causa omnino evitandus est error vulgaris et communis qui conflatur ex facto introspectionis et ex notione objectivitatis inadequata et erronea.

Introspectio habetur in quantum fit transitus ex objectis in actus, ex eo quod sentitur in actum sentiendi, ex eo quod imaginatur in actum imaginandi, ex eo quod intelligitur in actum intelligendi, ex eo quod concipitur in actum concipiendi, ex eo quod affirmatur in actum affirmandi.

Quo transitu peracto, habetur objectivitas materialis, i. e., habetur materia unde per inquisitionem, intelligentiam, conceptionem, reflectionem, et iudicium ad ens et verum pervenitur.

Qui autem objectivitatem perperam concipiunt, falso autumnant introspectionem dicere miram quandam neque existentem inspectionem inspectionis vel inspectionem inspicientis; unde alii ad rationem conscientiae et experientiae fingendum procedunt, et alii contradicentes ipsam conscientiam et experientiam existere negant.

Brevi, nulla existit inspectio inspectionis; et nulla existit inspectio inspicientis. Sed in ipso actu introspiciendi, in quantum hic actus ut activus consideratur, habetur conscientia, et in quantum idem actus ut passivus consideratur, habetur experientia.

12. Ulterius, evitandus est error Kantianus, qui experientiam internam ad sensum quemdam interiorem restringit, quasi actus intelligendi, reflectendi, judicandi quodammodo extra campum experientiae et conscientiae procederent.

Archimedes sane experiebatur se intellexisse; haec enim experientia causa fuit unde exsiliit atque Eureka exclamavit.

Adeo positio Kantiana factis non fulcitur ut magis ex placitis sui systematis intelligitur: ejusmodi enim erat systema Kantianum ut objectivitatem similitudinariam vel erroneam reiceret quae ad objectivitatem absolutam perveniret; at cum desunt distinctiones inter objectivitatem actualem et potentialem, inter materialem, normativam, absolutam, et consequentem, facillime errores circa experientiam et conscientiam exsurgunt.

Quare, sicut dantur objecta quae sentiuntur et objecta quae intelliguntur et objecta quae rationabiliter affirmantur, pariter datur experientia sensitiva, intellectualis, et rationalis, et pariter datur conscientia sensitiva, intellectualis, et rationalis.

13. Quarto, de conscientia sui agendum est.

In primis, agnoscenda est unitas ex parte objecti, scilicet, id quod sentitur est idem ac id de quo inquiritur; id de quo inquiritur est idem ac id quod intelligitur; id quod intelligitur est idem ac id de quo reflectitur; id de quo reflectitur est idem ac id in quo invenitur ratio inconditionati virtualis; id in quo haec ratio invenitur est idem ac id quod rationabiliter affirmatur.

Quae unitas ex parte objecti pariter invenitur sive incipitur ex datis exterioribus ut coloribus vel figuris sive incipitur ex datis interioribus.

Uterius, eadem unitas ex parte objecti habetur cum incipitur ex datis interioribus, sive haec passive considerantur ut objecta experientiae sive activa considerantur ut conscia.

Denique, quando incipitur ex datis interioribus sive ut expertis sive ut conscis, inceptio est non tantum ex experientia vel conscientia sensitiva sed etiam est ex experientia vel conscientia intellectuali et rationali. Possumus enim intelligere quid sit intelligere vel quid sit reflectere; possumus affirmare existentiam illius quidditatis quae essentiam intelligentiae vel reflectionis exhibet.

14. At praeter unitatem ex parte objecti, etiam requiritur unitas ex parte subjecti.

Si idem est quod sentitur et quod intelligitur, idem pariter debet esse qui sentit et qui intelligit. Si alius sentiret et alius intelligeret, tunc sentiens non intelligeret quod sentit; et quod peius est, qui reputatur intelligere intelligere non posset, cum sensibile non haberet in quo intelligibile ~~perceptibile~~ perspiceret.

Proinde, eodem argumento stabilitur identitas non solum sentientis et intelligentis, sed etiam imaginantis, inquiringis, concipientis, reflectentis, inconditionatum perspicentis, et judicantis. Sicut enim idem verum et ens pedetentim.

cognoscitur in quantum ex sensibilibus et imaginariis per inquisitionem et intelligentiam et conceptionem pervenitur ad reflectionem et iudicium, pari ratione necesse est ut idem sit qui varias operationes incompletas et alias ex aliis completas ponat.

15. Iam vero haec unitas ex parte subiecti multipliciter considerari potest. Ontologica est in quantum existit homo cum potentiis sensitivis et intellectualibus, sive homo ille vigilat sive dormit. Conscia est in quantum homo existens potentias cognoscitivas actuat. Aliter tamen et aliter. In quantum enim homo ad sola sensibilia attendit, non tota unitas fit conscientia sed tantum pars sensitiva. In quantum vero homo intelligibile in sensibilibus quaerit vel invenit vel inventum concipit, magis conscia fit illa unitas, quippe quae simul in ordine sensitivo et intellectuali versatur. In quantum denique homo super intelligibile inventum et conceptum reflectitur an sit, plene conscius est, quippe qui simul ad sensibilibus, intelligibilia, et rationalia attendit et ideo conscientiam sensitivam, intellectualem, et rationalem habet, aliud tamen est conscius esse et aliud hanc conscientiam concipere. Omnis homo plus minus est conscius modo vigilet. At pauciores sunt qui ad rationem conscientiae clare et distincte concipiendam perveniant. Distinguenda enim est conscientia ab experientia, et per unitatem ex parte obiecti ad unitatem ex parte subiecti procedendum est.

Ultimus denique gressus habetur cum quis se sui conscius esse affirmat. Qui enim est et sui conscius est, debet ulterius quid sit conscientia concipere et ulterius reflectere utrum hoc quod concipitur ratione inconditionati gaudeat. Quae in conditionati ratio eatenus perspicitur quatenus quis conscientiam conceptam in materiali obiectivitate propriae conscientiae verificat.

Quae verificatio in omni dubitante perfici possit necesse est, nec quicquam refert de quo dubitet. Si enim dubitat, reflectitur et quaerit de quopiam An Sit. Habet ergo conscientiam rationalem. Praeterea, illud de quo quaerit, aliquomodo concipit. Habet ergo conscientiam intellectualem per quam inquisivit et intellexit et concepit illud de quo quaerit An Sit. Denique, nulla est inquisitio nisi per prius adest id de quo quaeritur; sicut ergo reflectio, An Sit, supponit conceptionem, pariter inquisitio, Quid Sit, unde orta est conceptio, supponit experientiam sensitivam. Habet ergo conscientiam sensitivam. Et ex argumento iam facto de unitate conscientiae ex parte subiecti, conscientia illa sensitiva, intellectualis, et rationalis non sunt tres conscientiae sed una; secus nihil intelligeretur vel dubitaretur.

16. Quo clarius et facilius inter conscientiam et experientiam distinguatur, iuvat illud Aristotelicum considerare, nempe, qui cum sceptico tractat, efficere oportere ut scepticus loquatur.

Vis huius consilii in eo reponitur quod de facto ille qui scepticus est etiam intelligens et rationalis est. Iam vero ipsa conscientia intellectualis et rationalis subest legibus suis necessariis. Intelligens potest se fingere stupidum, sed ipsa sua fictio cum intelligenter fiat intelligentiam trahit. Rationalis potest se fingere non rationalem, sed rationes cur non-rationalis appareat et quaerebit et habebit.

Porro, hoc consilium Aristotelicum fundatur non in experientia interna sed in conscientia. Non ex eo procedit quod scepticus experitur suam intelligentiam et suam rationabilitatem. Sed ex eo procedit quod scepticus intellegens non potest agere et loqui quasi prorsus stupidus esset; et scepticus rationabilis non potest agere et loqui quasi prorsus non-rationabilis esset. Fundatur ergo consilium in adpectu activo actuum interiorum, ei ideo in conscientia potius quam experientia nititur.

17. Ad conscientiam Christi tandem pervenimus.

In primis, clara videtur maximas et fere insolubiles oriri difficultates, si quis conscientiam erronee concipit, quasi quandam inspectionis inspectionem vel inspicientis inspectionem.

Si enim conscientia est inspectio inspectionis, cum haec et illa finitae sint, nulla habetur conscientia finita infiniti.

Si autem conscientia est inspectio inspicientis, verificatur ratio haec in visione Christi beata; quae tamen visio non est conscientia proprie dicta, nam in visione exhibetur quidem inspiciens in ratione obiecti, sed non liquet illud quod in ratione obiecti exhibetur esse terminus qui ideo cum subiecto identificatur quod ex obiecto procedit.

18. Ulterius, in Christo distinguere oportet inter unitatem naturae et unitatem personae.

Unitas naturae constituitur per animam humanam quae corpus informat et principium est quo Christus homo vivit, sentit, intellegit.

Unitas vero personae constituitur per esse personale Verbi, quo communicato existit anima unde existunt corpus et operationes.

Porro, sicut forma intellegendo perspicitur et esse reflectendo affirmatur, ratio naturae praecipue innotescit in actu qui versatur circa quaestionem, Quid sit, et ratio personae praecipue innotescit in actu qui versatur circa quaestionem, An sit.

Quare, unitas naturae est unitas quaedam intellegibilis, seu unitas illa quae innotescit cum identitas in multis datis perspicitur. At unitas personae est unitas quae reflectendo et affirmando innotescit, illa nempe quae per principia identitatis et non-contradictionis exprimitur. Et secundum hanc unitatem dicitur unum indivisum in se et divisum a quolibet alio (A est A; A non est non-A).

19. Porro, attendenda est differentia quae intercedit inter scientiam Christi beatam et eandem scientiam in quolibet alio.

Quamvis enim scientia beata in Christo est et dicitur gratia relate ad naturam humanam Christi, non tamen pariter gratia est relate ad personam Christi quae est infinita et aeterna. Si enim operari sequitur esse, sane scire Deum sequitur esse Deum; at Christus est Deus; et ideo ratione ejus esse sequitur in Christo scientia beata. In aliis vero beatis, qui non sunt Deus, scientia beata per gratiam et per participationem meritorum Christi communicatur. Sub aspectu ontologico non resultat visio in iis sive ex natura propria sive ex esse proprio.

20. Jam vero, experientia dicitur in quantum operatio recipitur, conscientia vero in quantum operatio ex ipso subjecto procedit. Hac de causa magis conspicua est ratio experientiae in actu hominis, quem actum magis patimur quam facimus, et magis conspicua est ratio conscientiae in actu humano, quem actum per prius facimus quam patimur.

Quibus perspectis, conveniens esse videtur distinguere inter conscientiam et experientiam visionis beatificae cum in Christo tum in aliis beatis.

Pariter enim et Christus et alii beati experiuntur visionem; parieter enim in utrisque mediante lumine gloriae quodammodo illabatur divina essentia ad modum speciei intelligibilis et necessario sequitur visio.

At aliter Christus et aliter beati sunt conscii visionis: ita enim visio ex beatis procedit tamquam essentialiter gratuitum et indebitum et per modum merita Christi collatum; at in Christo ille qui est est persona divina et infinita; ex eo procedit visio non ut prorsus indebita et gratuita sed, ut supra habitum est, tamquam resultans ex esse infinito quod est.

21. Quibus positis, quodammodo elucet quemadmodum Christus homo ex sui conscientia affirmare potuit quod Deus sum.

Scit enim Christus homo omnia quae theologi sciunt de ratione indebiti et supernaturalis. Scit ulterius Christus quae theologi ignorant de differentia inter conscientiam visionis in aliis beatis et conscientiam visionis in Deo homine facto.

Praeter hanc scientiam, quae intelligendo et affirmando constituitur et ex ratione objecti Christo exhibetur, etiam Christo homini inest conscientia propria visionis.

Quam conscientiam non cujusvis beati Christus invenit sed eam qualis Verbo incarnato conveniat. Conscius est enim Christus propriam visionem ex se et ratione sui esse procedere.

Unde ille qui est Deus ita est conscius propriae visionis Dei ut certo possit affirmare et certo affirmat se ipsum cognoscentem esse eundem ac Verbum visione cognitum.

22. Ulterius, Christus Homo non solum visionis est conscius sed etiam aliarum operationum.

In quantum harum operationum intelligibilitatem unitatem perspicit et affirmat, in cognitionem suae humanae naturae pervenit.

In quantum eadem persona est conscia operationum quae ita excedunt proportionem naturae humanae ut tamen proportionem esse personae non excedant, perspicit et affirmat Christus se habere aliam naturam praeter humanam et hanc aliam naturam esse divinam.

Denique utraque natura affirmata, minime impeditur affirmatio unitatis personae. Haec enim unitas alia est ac unitas naturae, uti supra #18 habitum est. Idem qui affirmat "Deus sum", etiam affirmat "homo sum"; affirmans humanitatem suam, affirmat unitatem cujusdam essentiae; et affirmans unitatem personae, affirmat unitatem quae principiis identitatis et contradictionis innotescit.